



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] laicus possit sacramentum baptismi conferre? 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

Vtrum laicus possit baptizare?

378

2. 2. q. 100 a. 2. ad 1. 4. di. 5. q. 2. a. 1. q. 1. 3. d. 6. q. 1. a. 3. q. 2. 2. * a. præ. in locis citatis art. præc. in utroque arg. Sed cõt. Et in decr. ibi. cit. & d. 93. c. 13.

AD tertium sic proceditur. Videtur quòd laicus baptizare non possit. Baptizare enim (sicut dictum est *) propriè pertinet ad ordinem sacerdotalem. Sed ea quæ sunt ordinis, non possunt committi non habenti ordinem. Ergo videtur, quòd laicus, qui non habet ordinem, baptizare non possit.

¶ 2 Præterea, Maius est baptizare, quam alia sacramentalia baptismi perficere: sicut catechizare, & exorcizare, & aquam baptismalem benedicere. Sed hæc non possunt fieri a laicis, sed solum a sacerdotibus. Ergo videtur, quòd multo minus laici possint baptizare.

¶ 3 Præterea, Sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita & pœnitentia. Sed laicus non potest absolueri in foro pœnitentia. Ergo neque potest baptizare.

SED contra est, quod Gelasius Papa, & Isidor. * dicunt, quòd baptizare necessitate imminente, laicis Christianis plerumque conceditur.

RESPONDEO dicendum, quòd ad misericordiam eius, qui vult omnes homines saluos fieri, pertinet vt in his quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inueniat. Inter omnia autem sacramenta maximæ necessitatis est baptismus, qui est regeneratio hominis in vitam spiritualem: quia pueris aliter omnino subueniri non potest, & adulti non possunt aliter, quam per baptismum plenam remissionem consequi, & quantum ad culpam, & quantum ad penam. Et ideò vt homo circa remedium tam necessariū defectum pati non possit, institutum est vt & materia baptismi sit communis †, scilicet aqua, quæ à quolibet de facili haberi potest; & minister baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum baptismi, homo salutis suæ dispendium patiaur.

† Aliàs, cõmunissima.

Ad primum ergo dicendum, quòd baptizare pertinet

tinet ad ordinem sacerdotalem, secundum quamdam
conuenientiam, & solemnitatem, non autem hoc est
de necessitate sacramenti. Vnde etiam si extra neces-
sitaris articulum laicus baptizet, peccat quidem, ta-
men sacramentum baptismi confert: nec est rebap-
tizandus ille qui sic est baptizatus.

Ad secundum dicendum, quod illa sacramentalia
baptismi pertinent ad solemnitatem, non autem ad
necessitatem baptismi. Et ideo fieri non debent, nec
possunt a laico: sed solum a sacerdote, cuius est so-
lemniter baptizare.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra dictum
est*) pœnitentia non est tanta necessitatis sicut bap-
tismus. Potest enim per contritionem suppleri de-
fectus sacerdotalis absolutionis, quæ non liberat à
tota pœna: nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non
est simile de baptismo, cuius effectus per nihil aliud
suppleri potest.

ARTIC. IV.

Virum mulier possit baptizare?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod mu-
lier non possit baptizare. Legitur enim in Car-
thaginensi Concilio*, quod mulier, quamuis docta
& sancta, viros in conuentu docere, vel aliquos bap-
tizare non præsumat. Sed nullo modo licet mulie-
ri docere in conuentu: secundum illud 1. ad Cor. 14.
Turpe est mulieri in ecclesia loqui. Ergo videtur,
quod nec etiã aliquo modo mulieri liceat baptizare.

¶ 2 Præterea, Baptizare pertinet ad officium
pœlacionis: vnde a sacerdotibus habentibus curam
animarum debet accipi baptismus. Sed hoc non po-
test competere mulieri: secundum illud 1. Tim. 2. Do-
cere mulieri non permitto, nec dominari in virum,
sed subditam esse in silentio. Ergo mulier baptizare
non potest.

¶ 3 Præterea, In spiritali regeneratione vide-
tur aqua habere locum materni vteri (vt Aug. † dicit
super illud Io. 3. Numquid homo potest in ventrem
ma-

379
sup. ar. 3.
& loci
ibi indu-
ctis.
* in Cōc.
4. Carth.
c. 99. &
100. &
refertur
de cōf. d.
4. ca. 19.
mulier.
† irac 11.
paulo an
te me. 10.
9. & de
cōf. d. 4. c.
mulier.